

Franckesche Stiftungen zu Halle

Oeconomia Temporum Novi Testamenti, Exhibens Gubernationem Dei In Ecclesia

Majus, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, MDCCXXI.

VD18 11274050

Caput II. De Novi Testamenti Primordiis Tempore Conceptionis Et Nativitatis Baptistae Ac Christi, Huiusque Fatis Et Gestis In Pueritia

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-199398

ptistæ, ac ipsius Christi, elarius emicuerit, (Matth. XI. 12. 13.) & vi irruerit: non tamen mox ἀνέμην habuit, sed Christus morte sua omnia complevit, ac vetus Test. cujus legibus & ceremoniis seipsum subjecit, tunc de jure abrogavit, novum autem sanguine suo obsignavit, per Apostolos in toto orbe promulgavit, & una testimonium ei præbuit signis & prodigiis &c. Hebr. II. 3. 4. donec combusto templo Hierosol. & de facto sublatis omnibus ceremoniis ad V. Test. pertinentibus, pleno libertatis jubare coruscavit. Conf. *Wiss.* de Oecon. fœd. L. III. Cap. III. p. 286. seq. Sed quia de his omnibus, ut & variis Ecclesiæ Novi Test. periodis atque fatis, Historiæ Evangelistarum, Acta & Epistolæ Apostolorum, ac tandem Apocalypsis Johannis, luculenter & plene nos erudiunt, inde brevem delineationem Oeconomix temporum tradituri B. C. D. sumus.

CAPUT II.

DE

NOVI TESTAMENTI PRIMORDIIS
TEMPORIS CONCEPTIONIS ET NATIVITATIS BAPTISTÆ
AC CHRISTI, HUIUSQUE FATIS ET GESTIS IN
PUERITIA

I.

Harmonia utriusque Testamenti inter alia quoque hinc intelligi potest, quod Vetus in prædicatione Johannis Baptistæ *Diver- sam Oeco- nom. Novi Test. à Vet. Messie præcur- sor ostendit.* definat, Novum autem ab ejus prædicatione incipiat, Mal. III. 1. 23. 24. Diversam tamen Oeconomiam à Veteris Test. dispositione in N. Testam. futuram, idem ille Messias præcursor ostendit diversa vitæ ratione, quam servavit, quæ proinde accuratius inspicienda est & colligenda est ex Historia Evangelica, cujus præloquium Lucas II. 1. -- 5. exhibet,

A 2

quo

Luc. I. 5. ff. quo *εὐαγγελιστοῦ αἰτίας* occasionem & causam, modum & finem aperit indicatque, nimirum, ut totius Oeconomiae salutis in novissimis temporibus certum compertumque ordinem & fundamentum immotum haberent, quotquot DEum amarent, ejus amicitiam & gratiam ambirent, suamque salutem studiose quaererent.

II.

*Conceptio-
nis illius
tempus
notabile.*

*2. conce-
ptio ipsa
miraculo-
sa.*

Multa mirabilia occurrunt circa & ante nativitatem Jo-
hanni. (1) Incidit conceptio & nativitas ejus in tempora
Herodis M. Idumæi, Cæsaris & Senatus Romani gratia Regis
Judææ, quibus de Juda omnis Regia & Ducalis potestas ablata
fuit, & animi piorum Messiam ex vaticinio Jacobi Gen. XLIX.
10. expectabant avide, Luc. II. 25. 38. (2) Conceptio classis
miraculosa, cum parentibus ortus sit e genere Sacerdotali, classis
Abianæ (1. Chron. XXIV. 6. ff.) Patre Zacharia, & matre Eli-
sabetha, justitiæ & pietatis laude inter Judæos claris, sed ætate
ita proVectis, ut nulla prolis spes iis esse posset, præsertim quia
viri uxor sterilis erat. Accidit tamen, ut, cum senex vicibus
suis pro more functurus adol:ret in Templo, Angelus Domini
ei subito apparuerit, ad aræ suffitoriae dextram, & visione im-
provisa, eaque tempestate inusitata, territum Zachariam erexe-
rit, & filium ex uxore sterili nascendum, in multorum gaudium
& fructum promiserit, qui dignitate, donis, officiique singula-
ris ratione, mortalium maximus sit futurus (Matth. XI. 11.)
ac viam adventanti mox Messiae, secundum vaticinia in Jelaia
& Malachia de eo extantia, paraturus. Hoc nuncium, utpo-
te a cœlesti genio profectum, humili fide & obsequio accipere
debat senex, sed diffidens rem miraculo confirmari petiit, &
tale signum ab Angelo, divina indulgente clementia, impetrat,
quod ei simul in pœnam promeritam cedebat, ut mutus esset us-
que ad eum diem, quo prædictio eveniret. Id Zacharias popu-
lo, foris benedictionem expectanti, nutu significavit, qui hinc
intellexit, quod visum divinum in interiore Templi parte con-
spexisset,

PRIMORDIIS JOH. ET CHRISTI CONCEPT.

5

spexisset, & omen etiam cessaturi ac obmutescantis Sacerdotii *Luc. 2. 25.*
 Levitici colligere debuit. Post completos ministerii dies uxor *f.*
 ex eo concipit, quæ, ne aut se, aut puerum, utpote Nasitum fu-
 turum, pollueret, aut aliter fœtui noceret, domi se per quinque
 menses continet, & tempus in DEI laudibus concelebrandis
 transigit. *Luc. 1. 5. -- 25.*

III.

Verum multo plura & majora miracula occurrunt in Mes-
 sia ipsius conceptione & nativitate. Nam sexto ab Elisabethæ
 conceptu mense, idem Angelus *Gabriel*, qui Zachariæ ortum
 Filii prodigiosum nunciaverat, à DEO missus est in oppidum
 Galiliæ inferioris, ignobile apud Judæos, cui nomen erat *Naza-*
reth, ad virginem, è regia Davidis stirpe, sed tum ferè excisa,
 (*Jes. XI. 1.*) & ad summam inopiam redacta, ortam, *Mariam* no-
 mine, desponsatam *Josepho*, fabro lignario, quam & salutavit,
 & dum sexus sui fortunatissimam omnium appellavit, tacitè si-
 gnificavit; mox tamen, ne vel metu turbaretur, vel animo diu
 fluctuaret, clarè expressit, eam à DEO Matrem electam Mes-
 sia, regnum spirituale Davidis erecturi & perpetuò firmaturi,
 huncque novo & ineffabili modo concepturam, superveniente
 Spiritu S. sacrique fœtus opificium peragente, ac Virtute altissi-
 mi, sive æterno DEI Filio, ipsam obumbrante & humanam car-
 nem assumente. Atque, ut magis confirmaretur virgo, eidem
 & gratiosam voluntatem considerandam proposuit. Quibus
 perceptis Maria acquievit in nutu DEI, eique totam se commi-
 brationem *ψ. 25. -- 39.* Ita *ἡ ἁγία ἡ μήνη*, prout Patres Incar-
 nationis mysterium vocant, in virgine illibata miraculosè pera-
 cta fuit prout Moyses & Prophetæ illam prædixerunt, *Gen. III. 15.*
Jes. VII. 14. IX. 6. Jer. XXXI. 22.

Quam su-
 perat
 Christi
 conceptio
 miraculo-
 sissima.

IV.

Non celavit hanc gratiam DEI mater Domini, sed ad co- *De Visita-*
 gnatam

Luc. 1. 39. f. gnatam visitandam *Chebronem*, ubi Isaac Abrahamo promissus, *tione &* David coronatus, aliaque acta sunt, quæ in Messiam spectabant, *colloquio* eo studio properè contendit, ut de Oeconomia salutis admirabili cum ea colloqueretur, & magis confirmaretur. Nec spes *Maria &* eam fefellit. Simulac enim *Elisabetham* salutavit, & causam *Elisabethæ* sui adventus illi exposuit, accidit non sine ingenti miraculo, ut infans in *Elisabethæ* utero delitescens, Spiritu S. motus & sentiens Domini, cui destinatus præcursor erat, majestatem divinam, exsiliierit, & cultum reverentiamque sancta exultatione exhibuerit. Ipsa etiam mater præcursoris, spiritu prophetico plena & ab eo illuminata, Mariam matrem Domini agnovit, & quæ Dominus cum ea fecit, atque propterea eam beatam prædicavit, & dictorum omnium per Angelum perfectam confirmationem futuram, confidentissimè affirmavit, 39. 46. Hisce Maria inflammata, sancto carmine celebravit beneficia divina, si bi haud tantum exhibita, sed etiam universo generi humano per Immanuel præstanda, vi pacti, cum sanctis Patribus initi, 46. 57. Conf. Orationem *Hannæ* 1. Sam. II. in qua similiter, ut in hoc hymno, compendium est totius Oeconomix salutis, & multa inde Maria vel mutuata, vel potius eodem Spiritu afflata eadem locuta est. Per tres menses Maria apud *Elisabetham* commorata fuit, & piis colloquiis atque laudibus divinis totum tempus ex transegerunt, & haud dubie animos multorum redemptionem Israël exspectantium suo exemplo & hortatu exercuerunt, 57.

*De nati-
vitate Ba-
ptiste, no-
mine ei
dato, &
canticum
Zachariæ.*

V.
Nascitur mox Johannes, ad quem videndum concurrunt vicini, in agris & villis tribus Judæ habitantes, cognatique *Elisabethæ*, ac ei congaudent & congratulantur, prout Angelus prædixerat, supra 5. 14. Latius quoque fama serpit, quando in circumcissione præter morem nomen *Johannæ* puero inditum fuit, Patre, renitentibus matri cognatis, illud tabellis pugillaribus inscriptum, ex Angeli præscripto, 5. 13. significante; quo officii

officii ratio innuebatur, quod præco gratiæ, per Messiam recuperanda, futurus sit. Mox lingua muti Patris laxata & soluta fudit laudes enarravitque, quæ ante novem menses in templo sibi accidissent, & quam propinquus Messia adventus esset, ad quem præparare omnes se debeant. Quæ omnia vicini atque finitimi non sine stupore & metu audiverunt, per totam regionem montanam Judææ divulgant, & præclara quæque de puerulo recens nato ominati, inque Messia jamjam venturi expectationem incitati sunt. Pater autem reddito linguæ usu & dolebat, ipsi Spiritu Prophetico, 1. Dominum DEUM Israël celebatur, quod gratiosissime populum suum inviserit, jamjam eum per Messiam redempturus, & cornu salutis erecturus, juxta prædictiones vatum omnium, promissiones Patribus factas, & jusjurandum Abrahamo datum. 2. Monet, liberatione, quæ per Messiam fieri debeat, non abutendum ad peccandi licentiam, sed Redemptori potius serviendum in vera sanctitate & justitia, per totam vitam. 3. Ad filium conversus, eundem propter adstantes alloquitur, eumque indicat futurum Prophetam altissimi, præcursores Domini, ad parandas ei vias, per concionem poenitentiae, Evangelii, & Baptismum; ut miseri mortales ad vivam & salutarem cognitionem, beneficiorumque per Christum impetrandorum perceptionem perveniant, ut sunt gratuita peccatorum remissio, illuminatio, pax &c. 57. -- 80.

VI.

Maria domum reversa post tres menses gravida deprehensa est. Quod ubi vidit Josephus, ejus ex desponsatione vir, nec vel novit vel credidit, quæ divinitus acta cum illa essent, utrinque premebatur. Quia enim justus erat, non putavit cohabitandum esse adulterio suspectæ: & quia simul benignus & mansuetus fuit, noluit eam publicæ ignominie exponere, nedum in illa exemplum juxta legis rigorem statuere, Deut. XXII. 23. 24. Idcirco clam eam abdicare, dato libello repudii, statuit; sed eam assumpsit.

Josephus,
mysterio
ignarus,
sponsam
repudiare
volens,
montus
divinitus,
eam as-
sumpsit.

Matth. 1.
18. seqq.

monitus & informatus ab Angelo, in somnis ei apparente, par-
tum Spiritus sancti esse διαισθημα, non hominis, & dudum pro-
missum Salvatorem JESUM ex Maria natum iri, juxta vetus
Oraculum apud Jesaiam, VII. 14 non dubitavit conjugem vir-
ginem assumere ejusque tutorem & defensorem agere, nec ma-
levolorum obrectationes, quas facile praeviderat, pensi ha-
buit; castissime tamen cum ea habitavit, & a congressu con-
jugali, religione tactus, abstinuit, testisque omni exceptione
major fuit, & est omni tempore, nullam sceleris suspensionem
subesse, sed Dominum creasse novum quid in terra, Matth. I.
18. 25.

VII.

JESUS
natus sub
Augusto
Bethlehe-
mi, & ma-
nifestatus.

Transumta ita Maria in sponsi aedes, dum expectavit pa-
riendi tempus, accidit, non sane fortuito, sed DEO potenter
sapienterque procurante, ut florente Romanorum Imperio, &
populo Judaico ei jam subiecto, juxta oraculum Gen. 49. 10.
edictum ab Octaviano Augusto emanarit, quo descriptio univer-
salis in Judæa imperabatur, ac quisque in suam civitatem ire ju-
bebatur; quò census ageretur per tribus, domus ac capita,
quemadmodum receptum apud Hebræos erat. Itaque Jose-
phus Bethlehemum, Davidis oppidum, contendit; quia ipse
cum desponsa sibi uxore, Maria, ex domo & familia Davidis
erat, prout ex Genealogia Jesu Christi, eum in finem à Mat-
thæo Cap. I. 1. - 18. & Luca Cap. III. 23. ff. relata, perspicue con-
stat, ut describeretur. Ibi cum essent, ac pariendi tempus im-
pleretur, virgo peperit Filium illum suum primogenitum & uni-
genitum DEI, sicque pietatis mysterium maximum de DEO in
carne apparente, innotuit & manifestatum fuit pastoribus
in agro Bethlehemitico excubantibus, hominibus simplicibus
& fide dignis, ab Angelo Domini, qui ad visum improvisum
pavidos erexit, iisque latissimum illud nuncium de nato Messia,
Salvatore humani generis, in oppido Davidis Bethlehem, ubi
nascendum illum Michas prædixit, Cap. V. 1. attulit, verita-
tem.

ET CIRCUMCISIONE.

temque nuncii dato signa de inveniendi infante in præsepi, confirmavit, ac, ne eo, utpote parum splendido, offenderentur, repente adfuit ingens multitudo cœlestis exercitus Angelorum, laudes DEO canentium, ob immensam hominibus exhibitam in Christo charitatem & benevolentiam. Hoc hymno mirifice confirmati pastores, Bethlehemum properant, JESUM in præsepi inveniunt, rem divulgant, & admirationem apud omnes, qui audiverunt mirabile opus, excitarunt: ipsi etiam, exemplo Angelorum, DEUM collaudarunt, Luc. II. 1-21.

Luc. II. 1
ff.

VIII.

Nobis datus & natus Salvator, proque nobis legi subiectus fuit, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, Gal. IV. 4. cuius admirandi operis initium in circumcissione fecit; qua ipse quidem non indiguit, cum Legis Dominus & autor fœderis Gratiae atque Salutis omnis sit: testari tamen ejus susceptione voluit, quod semen Abrahæ sit, & una se obstrinxit solenniter, ad legem non hac tantum in parte, verum etiam in omnibus atque singulis præceptis, adimplendam, & hæreditatem cœlestem sanguine suo pretioso nobis impetrandam. Impositum ex more tum infanti nomen, non humano arbitratu sed divina autoritate, & JESUS nuncupatus is fuit, indicante Angelo, priusquam in utero virginis conciperetur, (Luc. I. 3. Matth. I. 21.) ut vel ex hoc nomine intelligerent miseri mortales, cum esse Salvatorem dum promissum & expectatum, nec ullum aliud nomen sub celo datum, in quo eos oporteat salvari, Actor. IV. 12. Ita constitit, & deinceps ex omnibus dictis & factis illius eluxit, JESUM esse CHRISTUM, quod qui non credit, salutis fundamentum convellit, negat & sua culpa perit. Hoc ergo nomen ex eo patet, probe cognoscendum & fide vera apprehendum; quo tota Scriptura tendit, & omnes Vates JESU Nazareno testimonium perhibent, Actor. X. 36. 38. 43.

Circum-
cissus, no-
men JE-
SU acce-
pit.

B

Sed

IX.

*Matth. II.
2. seqq.
a Magis
quæsitus,
inventus
& adora-
tus fuit.*

Sed Judæi terrenum somniantes Messiam, non viderunt lucem Mundi, tot illustribus testimoniis & documentis manifestatam. Quare visum DEO fuit, Gentibus extraneis Salvatore recens natum revelare, & per eas Judæos excitare. Hinc factum est, ut Magi, Persarum Philosophi atque Theologi satis celebres, partim interius cœlesti luce collustrati, partim exterius stella singulari excitati, Hierosolymam venerint, confiderenterque natum jam Judæorum Regem ibi quæsiverint, non sine magna Herodis & urbis consternatione. Cumque à convocata Synodo Rex intellexisset, Bethlehem nascendum Messiam, juxta Michæ prædictionem, clam convocatis sapientibus, subdolo animo accurate inquit tempus stellæ apparentis, atque illis locum indicat: qui, nil mali suspicantes, profecti, stellæ iterum affulgente duce & præeunte, exhilarati, JESUM invenerunt, inventum adorarunt, ac donis ei oblati indigitem & in mirabili puero divinam Majestatem, regiam potestatem & humanam mortalitatem se agnoscere. Reditum autem, omnibus rite perfectis, meditantes, oraculo divino monentur, ne Hierosolymam repeterent, recta per aliam viam, sub auspiciis JESU, in regionem suam regressi sunt salvi & incolumes, ibique libere prædicarunt magnalia & mirabilia DEI, & præludia quasi Conversionis gentium præbuerunt. Matth. II. 1. 13.

X.

*In Templo
offeritur,
ubi Si-
meon ad-
miranda
de eo præ-
dixit.*

Interea dum Herodes frustra redeuntis Magos præstolatur, completi sunt dies purificationis, secundum Legem Moysi, præcipientem, masculinum foetum exhiberi Domino offerrique sacrificium purgatorium & primogenitum, redimi s. siclis, JESUS, tametsi huic legi subjectus, laud esset, a Parentibus DEO sistitur, pio instituto ac proposito. Quod dum fit, accidit, ut singulari DEI nutu Simeon, vir religiosissimus & justissimus, Propheticoque spiritu plenus, ac illo tunc actus, venerit in templum, & statim sanctum infantem ulnis exceperit, DEO gratias

tias promisso, jam juxta promissa Vatum, Messia egerit, sibi que pariter de beata analysi per datum Salvatorem ac toti humano generi gratulatus fuerit de præparata dudum & nunc per natum Redemptorem acquirenda salute Judæis & Gentibus. Hæc cum admirarentur vehementer Parentes, & recordarentur ante dictorum à Gabriele, Elisabetha & Pastoribus, Simeon benedictionem haud vulgarem iis impertitus est, sed omnino talem, qualem DEUS ipse in promissionibus Abrahamo factis insinnavit: animis eâ erectis tristitia fata prædixit de filio, Salvatore catholico, infidelium culpa in ruina signumque contradictionis posito, & resurrectionem multorum in Israël, suo tempore certo expectandam: de dolore maximo Matri imminente, deque revelatione cogitationum occultarum aliquamdiu in multorum cordibus circa salutis viam rationemque. Luc. II. 22--36.

Luc. II.
22. seqq.

XI.

Insigne hoc Simeonis de JESU testimonium & vaticinium omnes quotquot illud vel ipsi audiverunt, vel relatum acceperunt, commovere poterat ac debebat, ut cum divino sene avdissime & certatim Redemptori occurrerent, eumque ambabus manibus amplexarentur; nec dubium est, quin nonnulli, imo omnes, qui redemptionem isto tempore, quo adventum Messiae adesse ex oraculis Prophetis persuasi erant, mox futurum expectabant, id fecerint; præsertim quum anus quædam vatidica, Anna, ob pietatis exercitia assidua nota cunctis ac laudata, eadem hora commodum superveniens, mente voceque prorsus consentiente succinisset, ac publice confessa esset veritatem dictorum à Simeone, & illa ipsa plenius dilucidiusque exposuisset. Duplex hoc testimonium, publice de JESU recens nato perhibitum, omnes edocere poterat ac debebat, de tempore & regno Messiae; sed plerique pravis Phariseorum opinionibus imbuti, tanta mysteria ac luculenta testimonia fusque deque habuerunt, & stolide deriserunt. Luc. II. 36.--39.

Cui con-
cinit
Anna va-
tes, atate
& pietate
insignis.

Matth.

II. 13. seq.

De fuga

Christi in

Ægy-

ptum.

XII.

His ita Hierosolymæ actis, Parentes domum redierunt cum infante benedicto; ibi tamen agere secure diu non poterunt, sed mox experti sunt aliquod complementum vaticinii Simeonis, de Satanæ & Tyrannorum contra Messiam ejusque regnum machinationibus, cum Herodes vitæ pueri insidiaretur, ac Magos eo nomine Bethlehemo reversuros expectaret. Nam fama de JESU in Templo oblato & Simeonis Annæque testimonio eidem palam dato, ad aures illius pervenit, ac illum movere potuit, ut eadem pueri jam ante animo conceptam protinus perficeret. Quod ne fieret, Pater cœlestis Josephum per Angelum monuit, ut in Ægyptum fugeret, ac ibi ad Herodis usque mortem subsisteret. Non temere hoc factum, sed ita impletum fuit Oraculum, per Hoseam olim prolatum XI. 1. ex Ægypto vocavi filium meum, & tragicus eventus mox respondit Angeli monito; liquidem Herodes illudum se à Magis sentiens, publico edicto omnes parvulos, ex Davidis familia prognatos, abimatu & infra, intra fines Bethlehemiticos convocari trucidarique jussit. Unde qui signa temporum è Vatis intelligunt, colligere poterant, advenisse Messiam, cujus adventus charactere notabilem Jeremias XXXI. 15. fl. indicavit, luctum iteratum Rachelis, filios suos è medio sublato in Ephratæ matribus deplorantis, & humanam consolationem renuentis. DEUS autem tantam Herodis crudelitatem ultus est severe, & variis morbis immissis tyrannum excruciauit & necavit; quo defuncto Angelus Josephum in somnis monuit, ut in patriam rediret, ac in Galilææ oris Nazarethæ consideret. Quod dum promte parateque fecit, rursus impletum fuit oraculum Propheticum, JESUM Nazarenum vocatum iri. Sic typum fatorum Ecclesiæ Christianæ Christus præbuit, ac suo exemplo ostendit, eam persecutionibus obnoxiam diaboli & tyrannorum esse, sperare tamen etiam halcyonia debere. Matth. II. 13. -- 23.

XIII. Puer

XIII.

Puer autem divinus, JESVS, Nazarethæ à Parentibus educatus, pro tenui facultate, parco ac parabili victu, non tantum crescebat statura, viribus & robore corporis, sed etiam imprimis corroborabatur spiritu, cujus splendor & fortitudo subinde ita emicuit, ut facile observari potuerit, quod plenus sapientia celesti & gratia DEI singulari præditus esset, ac majus quid homine præ se ferret, Messiaëque signa manifesta haberet, Jesh. 2. ff. Ps. XLV. 3. Hujus rei specimen illustre dedit publice in confesso Doctorum Hierosolymis, natus annos 12. cum stupore & admiratione omnium audientium; adeo ut dignus censeretur, qui locum inter Doctores obtineret. Nam non tantum attente auscultavit Magistros, in festo Paschatosejus mysteria explicantes, sed etiam interrogationibus sapientibus aniam dedit imperitis, & traditionibus Pharisaicis imbutis animis, altius ascendendi, & Messiam quærendi, agnum DEI & Doctorem ad justitiam summum atque unicum; prælusit certe rudimentis huius officio suo Prophetico & majoribus factis ad salutem humani generis exantlandis, idque haud obscure significavit, quando Parentibus anxie se quærentibus, & factum hocce tanquam nimis audax exprobantibus, respondit: an ignoratis, quod esse me oporteat in iis negotiis totum, quæ Patris mei cœlestis sunt? Quod tamen non satis intelligerent, reverenter rationem habuerunt: & JESUS, pro humilitate sua & œconomia divinæ ratione, tum relicto templo descendit cum Parentibus domum, iisdemque obsecutus labores domesticos, serviles & fabriles sponte subiit, & ad annum trigessimum usque nil simile amplius gessit, quia semetipsum plenario omniscientiæ sapientia, apud DEUM pariter ac homines, donec officii demandati à Patre partes publicè auspicaretur. Luc. II. 40. -- 52.

Luc. II.

40. f.

De pueri-
tia & ado-
lescentia
Christi.